



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

III. Quòd utile sit sæpè communicare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Christus primum in uterum Virgini-
nis descendens , homo factus esset ;
aut in cruce pendens , pro salute ho-
minum pateretur & moreretur.

C A P U T III.

Quòd utile sit sèpè communicare.

VOX DISCIPULI.

1. **E**Cce ego ad te venio, Domine
ut bene mihi sit ex munere
tuo, & lætificet in convivio sancto
tuo, quod parasti in dulcedine tua
pauperi, Deus.

Ecce in te est totum, quod deside-
rare possum & debeo ; tu salus mea
& redemptio, spes & fortitudo, de-
cus & gloria.

Lætifica ergo hodie animam servi
tui, quoniam ad te, Domine JEsu,
animam meam levavi.

Desidero te nunc devotè ac reve-
renter suscipere; cupio te in domum
meam inducere, quatenus cum
Zachæo merear à te benedici, ac in-
ter filios Abrahæ computari.

Ani-

Anima mea Corpus tuum concupiscit, cor meum tecum uniri desiderat.

2. Trade te mihi, & sufficit: nam præter te nulla consolatio valet.

Sine te esse nequeo; & sine visitatione tua vivere non valeo.

Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere: ne fortè deficiam in via, si fuero cœlesti fraudatus alimonia.

Sic enim tu miseridordissime JESU, prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: Nolo eos jejunos dimittere in domum suam, ne deficiant in via.

Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti.

Tu es enim suavissima refectio animæ: & qui te dignè manducaverit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ.

Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpè labor & pecco, tam citò torpescō & deficio, ut per frequentes
oratio-

orationes & confessiones, ac sacram
Corporis tui perceptionem, me re-
novem, mundem, & accendam;
ne fortè diutiùs abstinendo, à sancto
proposito defluam.

3. Proni enim sunt sensus homi-
nis ad malum ab adolescentia sua;
& nisi succurrat divina medicina,
labitur homo mox ad pejora.

Retrahit ergo sancta Communio
à malo, & confortat in bono.

Si enim modò tam sæpè negligens
sum & tepidus, quando commu-
nico, aut celebros; quid fieret, si
medelam non sumerem, & tam
grande juvamen non quærerem?

Et licèt omni die non sim aptus,
nec ad celebrandum bene dispositus:
dabo tamen operam congruis tem-
poribus divina percipere myste-
ria, ac tantæ gratiæ participem
me præbere.

Nam hæc est una principalis fide-
delis animæ consolatio, quandiu pe-
regrinatur à te in mortali corpore,
ut sæpius memor Dei sui dilectum

T

suum

suum devotâ suscipiat mente.

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quòd tu Domine Deus, creator & vivificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota divinitate tua ac humanitate ejus impinguare esuriem!

O felix mens, & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur devotè suscipere, & in tui susceptione spirituali gaudio repleti!

O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospitem, quàm jucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum!

Sileant à facie tua (dulcissime dilecte meus) cœlum & terra, & omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tui pervenient nominis,

nis, cujus sapientiæ non est numerus.

CAPUT IV.

Quòd multa bona præstantur devotè communicantibus.

VOX DISCIPULI.

1. **D**omine DEUS meus, præveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, ut ad tuum magnificentum Sacramentum dignè ac devotè merear accedere.

Excita cor meum in te, & à gravi torpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandam in spiritu suavitatem tuam, quæ in hoc Sacramento, tanquam in fonte, plenariè lateat.

Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium, & ad credendum illud indubitata fide me roborata.

Est enim operatio tua, non hu-